

na quædam restituit, solus *Hiterius recognovit et subscripsit*, ut apud Mabillonium cap. 47. videre est. Hitherius ergo Baddiloni, hoc anno vel mortuo vel alio translato, in munere successit. Ex hac vero serie patet, *Baddilonem* neque anno 752. neque anno 755. Pippini Regis Cancellarium fuisse. Et hinc iterum Fuldense Privilegium notæ non bonæ esse apparet. Sigillum Pippinum Regem paludatum, vultu ad lævam converso, barba horrida, et capite laurea vel alia re cincto exhibet. Circum legitur: XPE PROTEGE REG. FRANC. In figillis Regum Merovingicorum sine Christi protectione solum Regis Francorum cujuslibet nomen, præfixa cruce, observatur: In Caroli M. figillis sculptum est: *Christe protege Carolum Regem vel Imperatorem*. Eadem formula usi sunt ejus successoribus. *Nomen* ante omnia in sigillo necessarium erat, tanquam sola nota distinctiva. Mabillonius tamen longe aliud Pippini sigillum profert, quod plane nullam inscriptionem habet. Si hoc genuinum est, ut non dubito, de Mabillonii candore persuasus, contra Schannatianum pronunciandum.

Sigillum
Pippini su-
spectum.

VIII.

Stephani
III. Privi-
legium
Fuldense
suppositi-
tium.

Pergit nihilominus author noster: *Accessit mox* (ad Zachariæ nempe privilegium) *Pippini Regis, ut et dein Stephani IV. Papæ Diploma confirmatorium; utrumque iisdem pene, quibus præcedens illud, verbis comprehensum.* De Pippini Regis Diplomate modo satis superque egi. In confirmatoriis Diplomatum et Bullis præcedentia Privilegia, quæ confirmantur, nominari solent. In Stephani vero III. (non IV. ut Schannatus habet) Bulla, quam Vir Clarissimus ex veteri iterum membrana et dubiæ nobis ætatis pag. 235. profert, ne minima quidem Privilegiorum a Zacharia et Pippino impetratorum mentio fit; unde concludas, eo tempore, quo hæc Bulla scripta fuit, nondum de iis substituendis cogitatum fuisse. Dicit solum Stephanus Pontifex ad Sturmionem Abbatem: *decrevimus, ut locum tuum, Fuldense scilicet Monasterium, quod venerabilis frater noster Bonifacius Archiepiscopus construxit et dedicavit, omnibusque bonis ditavit, in nostra habeamus defensione ac Romana et Apostolica auctoritate munitum, tum propter justitiam, tum propter beatissimi Bonifacii votivum desiderium, qui tam te, quam ipsum Fuldensem locum in nostra Romana commendavit defensione.* Locutiones illæ *Romana et Apostolica auctoritas*, item *Romana defensio* neque Zachariæ, neque Stephani ætate in usu fuerunt, ut literas horum evolventi facile patebit; sed longe sunt posterioris ævi, quo *Roma* caput mundi regebat orbis frena rotundi, et Imperatores Romano-Germanici in Italia non amplius pro Dominis urbis a quibusdam habebantur. Si tamen verba singula exacte consideres; videbis, Bonifacium Monasterium in defensionem Apostolicam recipi desiderasse; sed re ipsa non impetrasse. Non ergo a Zacharia id in defensionem susceptum fuit. Quod Bonifacius desiderarat, Sturmio obtigit. Pergit enim Stephanus: *igitur quia postulasti a nobis, quatenus præfatum Monasterium S. Salvatoris privilegio Apostolicæ auctoritatis decoretur, ut sit in ditione sanctæ nostræ, cui Deo authore deservimus, Ecclesiæ constitutum, ac nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submitatur: idcirco etc.* Sequuntur verba, quæ ex Privilegio Zachariæ jam exhibuimus. Primus ergo Stephanus PP. III. fuisset, qui Fuldensibus exemptionem a jurisdictione Episcopali concessisset, si Bulla hæc fidem mereretur. At illam non meretur, quia res continet, Canonibus, rebus gestis et moribus ejus ævi adversantes. Post exemptionem concessam, præcipit Stephanus Sturmio ejusque Abbatibus successoribus, ut locum omni diligentia et studio excolant

lant